



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Ante confeßionem Sacramentalem. Exer. 79.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

ni, tam augustorum & sublimium
mysteriorum: & per eorum virtutē
precabimur eum vt nos ab omni
suæ maiestatis offensa præseruet.

ANTE CONFENSIONEM
Sacramentalem.

Exercit. 79.

*Prou. 28. Qui abscondit scelera sua non diri-
getur, qui autem ea confessus fuerit &
reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

*Psal. 31. Dixi confitebor aduersum me iniu-
stitiam meam Domino: & tu remisisti
impietatem peccati mei.*

*1. Ioan. 1. Si confiteamur peccata nostra, fi-
delis est Deus & iustus, vt remittat nobis
peccata nostra & emundet nos ab omni i-
niquitate.*

Consideratio.

POST peractum examen conscien-
tiæ, & expensis diligenter pecca-
tis, quibus Deum post vltimam cō-
fessionem offendimus: considerabi-
mus quis sit Deus in quem peccaui-
mus, & qui simus nos qui Deum cre-

atorem & Dominum nostrum offendere ausi fuimus, & ex animo, de omnibus peccatis generatim, & de singulis speciatim contra ipsum commissis dolebimus eò quod, Deum, quem super omnia diligere debueramus offenderimus.

Gratiarum actio.

GRatias referemus Deo, quòd nos in tantis peccatis existentes hactenus tolerauerit, expectauerit, & ad pœnitentiam faciendam permouerit.

Confusio.

Pudore suffundemur propter ingratitude & audaciam nostram, quòd eum, quem super omnia diligere debueramus offendere ausi fuerimus.

Petitio.

ROgabimus Deum, vt nobis omnia peccata nostra dimittat, gratiamque largiatur, vt ea cum vero dolore & proposito ad ea amplius non reuertendi, confiteamur.

Oblatio

Oblatio.

Offeremus Deo, Passionem & mortem Christi in satisfactionem omnium peccatorum nostrorum: offeremus etiam ei nosmetipsos ad integram emendationem, & pro illis, per gratiam ipsius satisfactionem.

ANTE SACRAM COMMUNIONEM.

Exercitium. 80.

1. Corin. 11. Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat indigne iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Ioann 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus, verè est potus. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo.

Consideratio.

Considerabimus, quis sit Dominus, quem suscepturi sumus & qui simus nos: altitudinem nimirum divinæ maiestatis & humilitatem nostræ vilitatis: adhæc

cur